



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Cursus Theologicus**

**Gormaz, Juan Bautista**

**Augustae Vindelicorum, 1707**

Sect. 3. Quomodo ex Dignitate Verbi derivetur specialis valor in merita  
Christi?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

sunt DEO grata, seu condigna absque forma sanctificante; ergo si personalitas Verbi non sit sanctitas, non condignificabit apud Deum opera Christi Domini. Resp. nego majorem, quia personalitas ratione sui separari nequit à natura divina, secum ipsa identificata; & è converso: cum autem natura divina componi nequeat cum peccato, neque valebit conjungi personalitas, quin potius supposito Adversariorum non pugnat contra nos, qui docemus ipsam personalitatem esse ratione sui sanctitatem humanitatis, ut infra suo loco dicemus.

Ad Confirmationem nego conseq. quia personalitas independentem ab alia ratione formali sanctitatis est in se sanctitas, & humanitatem sanctificat, ut diximus numero superiori. Cæterum dato, & non concesso, quod non sit sanctitas humanitatis adhuc filiatio naturalis DEI, ac proinde summæ æstimabilitatis apud Deum, & multò magis quam filiatio adoptiva; at verò purus homo, nec identificatur cum natura divina, nec est filius naturalis Dei, nec adhuc adoptivus independentem à gratia sanctificante, ac proinde sine illa non est in statu æstimabilitatis requisito ad merendum de condigno dona superna apud Deum; unde licet opera puri hominis independentem à gratia sanctificante Deo grata seu condigna gloriæ non sint, opera Christi Domini independentem à gratia accidentali erunt Deo gratissima ratione divinæ personalitatis: difficultas tamen est in explicando quomodo specialis ille valor derivetur in opera Christi Domini ratione suæ dignitatis, pro cuius decisione sit.

### SECTIO III.

Quomodo ex dignitate Verbi derivetur specialis valor in merita Christi?

Suppono 1. Concretum aliud esse physicum, quod scilicet resultat ex partibus physicè unitis, ut album ex subjecto, & albedine unitis physicè, aliud autem esse morale constans ex extremis solùm moraliter unitis, ut concretum cognitum, quod resultat ex objecto, & cognitione, videlicet, quando cognosco parietem, cognitio illa non quidem physicè, sed solùm moraliter, & purè intentionaliter unitur parieti, sicque ex pariete & cognitione moraliter tamen unitis resultat istud concretum cognitum. Meritum autem non imitatur genus concreti physici, sed concreti moralis; nam ut constat à num. 386. & 389. resultat ex entitate operis tanquam ex subjecto, & ex dignitate principii elicientis tanquam ex forma, quæ duo non uniuntur physicè, sed tantùm moraliter: sic opus Regium dignificatur à dignitate Regia ipsi moraliter duntaxat unita, & opus iusti dignificatur à gratia habituali, & hæc est condignificati-

R. P. Gormaz. Theolog. Tom. II.

va operis meritorii, quæ quidem gratia habitualis hominis iusti non unitur physicè, sed tantùm moraliter cum opere elicito à iusto.

Suppono 2. unionem esse determinationem, qua extremum se habens veluti forma absque unione physica determinat alterum, quod se habet veluti objectum seu subjectum; sic determinatio, qua cognitio denominat parietem cognitum, est unio moralis parietis cum cognitione, idem esto de determinatione, qua gratia habitualis dignificat opera iusti; & dignitas Regia Regis. Hæc autem determinatio dependet ab extremis, pluribusque requisitis, quæ secundùm qualitatem extremorum necessariò concurrunt, neque est quæstio in præsentem de merito Christi desumpto ex gratia habituali, sed de speciali valore desumpto ex dignitate Personæ Verbi; etenim inter dignitatem Verbi dignificantem opus meritorium Christi, & inter gratiam habitualement dignificantem merita nostra est infinitum discrimen, quale est inter Deum, & creaturam; quandoquidem gratia habitualis est res creata, & dignitas Verbi est ipsa persona divina, ex quo infinito discrimine facilè intelligitur, quomodo gratia habitualis limitatè concurrat ad dignificandum meritum, & quomodo dignitas Verbi concurrat illimitatè.

Dignitas non creata de condigno valorativa operis ad præmium coram Deo eatenus concurrat, quatenus iustum reddit Filium DEI. Ab hac equidem filiatione habetur, quòd sic hæres gloriæ, ac proinde, quòd de condigno mereatur apud DEUM præmium vitæ æternæ, juxta illud Pauli ad Rom. 16. si autem filii, & hæredes, hæredes quidem DEI, cohæredes autem Christi: unde cum unicus gradus habitualis gratiæ necessarius sit, & sufficiens ad constituendum iustum Filium Dei adoptivum, nec in illa linea adoptionis unus Filius potest esse magis Filius, quàm alius, licet possit esse majoris perfectionis, sicut in linea naturali non potest esse magis Filius naturalis, quàm alius, licet possit esse magis perfectus, exinde gratia habitualis per unicum duntaxat gradum concurrat essentialiter ad condignificandum opera iusti, & per reliquos gradus tantùm concurrat accidentaliter, seu materialiter; ad eum quippe modum proportionem servata, quo se habet potentia obedientialis magis vel minus perfecta in ordine ad eliciendos actus supernaturales, ut dixi in tractatu de beatitudine & actibus humanis à num. 426. idcirco licet unus iustus gratia purè habituali sanctificatus possit esse magis Sanctus, magisque Deo dilectus, quàm alter, non potest esse magis Filius adoptivus, quàm alter. Sic Pontifex creans duos Cardinales potest intensiori voluntate efficaci, & dilectione assumere ad Cardinalatum unum, quàm alterum, quo in casu, licet unus sit magis dilectus, quàm alter, non tamen erit magis Cardinalis, quàm alter: quod idem apparet in electoribus Regum,

gum, Imperatorum, millenisque aliis exemplis.

411. Quamobrem incrementum substantiale ad præmium in merito puri hominis iusti non desumitur ex majori gratia, sed ex perfectiori, & digniori opere superno libero à gratia dignificato; nam qui sunt in eodem ordine dignitatis, per opera æqualia æqualiter merentur: & ut unus magis mereatur, quàm alter, opus est, ut eliciat opera digniora, quàm alter, ut ex adducta ratione probat bene Vasquez Disput. 6. cap. 4. unde collaturus præmia iustis, dicitur Marth. 16. & ad Rom. 2. *Reddet unicuique secundum opera ejus*; at cum persona Verbi sit in altiori ordine juris ad gloriam propter naturalem filiationem Dei, & propter naturam divinam non minus, quàm sit Pater, & Spiritus Sanctus; si carnem assumerent, eo quòd haberent titulum naturæ divinæ & peculiaris suæ personalitatis, ex quo haberent jus infinitæ dignitatis, & perfectionis, propterea dignitas Verbi condignificativa substantialiter operis meritorii Christi est simpliciter infinita, idèoque meritum Christi continet substantialiter valorem simpliciter infinitum; quæ quidem est ratio, quam tradit Clemens VI. citat. supra num. 384. & infra num. 425. quàmque tetigit Div. Thomas 3. part. quæst. 48. art. 2. ad tertium ubi ait. *Ad tertium dicendum, quod dignitas carnis Christi non est estimanda solum secundum carnis naturam, sed secundum personam assumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam.* Idcirco in Christo dignitas requisita ad Filium Dei naturalem est ratio formalis, seu quasi forma suorum meritorum, & in nobis dignitas requisita ad statum filiationis Dei adoptivæ, est ratio formalis, seu forma nostrorum meritorum, quod etiam inferitur ex damnatione contra Bajum traditum num. 389. His positis.

412. Assero 2. cum communi Theologorum. Valor specialis meritorius operum Christi desumitur à dignitate personæ Verbi, prout constituitur cum libera Christi Domini operatione superna hoc concretum morale, meritum Christi. Probat 1. Meritum est concretum resultans ex operatione libera superna, & ex dignatione, quæ afficitur persona eliciens operationem, respiciensque meritum æquale statui suæ dignitatis, & valori suæ operationis, sed specialis dignitas, quæ afficitur ratione sui status persona Christi eliciens operationem, est dignitas personæ divinæ, proindeque infinita, respiciens quocumque præmium sibi æquale; ergo specialis valor operationum Christi desumitur ex dignitate suæ personæ; atque ex vi meritoria constituitur cum ea dignitate hoc concretum, meritum Christi. Min. & conseq. tenent: Major autem satis constat ex dictis, & patet; quia meritum puri hominis iusti est concretum morale ex operatione superna libera, & ex statu Filiationis DEI

adoptivæ, ad quam elevatur à gratia habituali, qua relatè ad præmium afficitur persona hominis iusti; meritum Magnatis apud Regem est concretum morale resultans ex ipsius operatione recta libera, & ex statu dignitatis Magnatis, quæ relatè ad præmium afficitur ejus persona, & sic de omnibus aliis, ut notum est num. 410. ergo idem dicendum est de merito Christi Domini.

Confirmatur 1. Et explicatur simul conclusio, licet gratia sanctificans non producat operationem puri hominis iusti, quia tamen est dignitas coram Deo elevans hominem ad statum adoptionis Dei, constituit ut forma illud concretum, meritum hominis iusti, ut colligitur ex Trid. & Pontificibus à num. 386. & 389. ergo licet persona Verbi non producat, ut partialè principium operationem creatam Christi Domini, quia tamen est dignitas coram Deo personæ Christi Domini ad statum Christi requisita, constituet, quasi forma illud concretum, meritum Christi. Confirmatur 2. licet tota persona hominis iusti non producat in quo actionem creatam, sed sola anima, quæ secundum se ferè omnium Theologorum sententiam est principium quo operativum, sive immediata virtus effectiva, nihilominus operatio hominis iusti dignificatur à dignitate totius personæ in ordine ad præmium; ergo licet tota persona Christi non producat operationem rectam, ut particulare principium quo, sed sola anima, quæ est particulare principium quo illarum operationum, nihilominus operatio Christi Domini dignificabitur à dignitate totius personæ, cum qua constituet hoc concretum, meritum Christi.

Probat 2. Conclusio; eatenus dignitas requisita ad statum personæ merentis dignificat illius opera, quatenus totum principium operativum status illius personæ impenditur illis, sed ut impendatur illud principium operativum personæ, satis est, ut eliciatur actio, quæ tribuitur toti personæ, quandoquidem actiones sunt suppositorum, proindeque dignè juxta dignitatem status suppositorum; ergo tota dignitas personæ Christi dignificabit operationes Christi meritorias, licet tota persona Christi non sit principium particulare, quod eliciens eas operationes. Confirmatur 1. Ad meritum alicujus personæ non solum requiritur principium elicitive, sed etiam condignificativum, cum hoc tamen discrimine, quod elicitive stare potest in aliquo particulari practico personæ sicut in homine, principium elicitive actuum spiritualium stat in sola anima; at condignificativum provenit à dignitate status illius personæ relatè ad æqualitatem cum præmio; ergo licet sola anima Christi sit principium particulare elicitive suarum operationum, nihilominus tota dignitas Christi erit principium condignificativum ipsarum, ac proinde valor meritorius illorum operum stabit in ggregato ex operibus, & dignitate Christi.

Christi, prout constituunt istud concretum morale, meritum Christi.

415. Confirmatur 2. Ex eo, quod impendatur in operatione totum principium effectivum, quod est in persona, refunditur meritum in totam personam; aliter corpora, quæ non sunt principium spirituale, neque immediatè elicitivum operationum spiritualium, nullum præmium haberent, neque in Cælum ascenderent, quod est Hæreticum; ergo licet tota persona non sit principium quo particulare operationis, nihilominus tota dignitas status illius personæ refunditur in creatis in operationem ad illam condignificandam, ac proinde tota dignitas Christi refunditur ad condignificandam suam operationem, & ad constituendum illud concretum morale meritum Christi. Confirmatur 3. Ex Div. Thoma citato num. 411. ubi docet dignitatem carnis Christi, non esse æstimandam solum secundum carnis naturam, sed secundum personam allumentem, in quantum scilicet erat caro Dei, ex quo habebat dignitatem infinitam; ergo etiam meritum Christi non est æstimandum solum secundum naturam particularis principii elicitivi, sed secundum personam allumentem & elicientem, in quantum scilicet erat operatio Christi, ex quo habebat dignitatem infinitam: Ex dictis.

416. Fit 1. Entitatem operationis creatæ constitutivam meriti Christi non esse simpliciter infinitam, sed revera finitam; licet sit simpliciter infinitum concretum ex operationis entitate, & dignitate personæ constitutum. Sic humanitas Christi non est simpliciter infinita, sed finita, licet Christus constitutus ex humanitate, & personalitate Verbi sit simpliciter infinitus. Quamobrem dignitas personæ constitutiva hujus concreti meritum debet esse propria personæ merentis. Idcirco nec dignitas hominis justî condignificat opera peccatoris, quia non est dignitas propria peccatoris, nec dignitas Regia condignificat apud Deum opera Regis, quia hæc non est dignitas condignificativa operationum apud Deum, apud quem sola opera supernaturalia, & condignificat à gratia sanctificante, merentur præmiū de condigno; ob eandem rationem actiones meritoria, quæ ab aliqua persona dignitate sua condignificantur, debent esse actiones illius personæ propriæ. Unde Petrus non potest condignificare actiones Pauli, nec volitio divina complacens in nostris operibus, potest ea condignificare, sed supponit meritum, & valorem terminativum divinæ complacentiæ.

417. Fit 2. Operationem Christi non haurire specialem valorem meritorium à Verbi personalitate, quatenus hæc conjungit suum specialem actum increatum, cum quolibet actu creato humanitatis ad efficiendum unum totum morale, sicut fit ex actu imperante, & imperato, ratio est, quia ille actus increatus vel esset proprius Verbi, vel communis toti Trinitati; neutrum

autem dici potest, nam volitiones in Deo sunt toti Trinitati communes: unde nulla est propria Verbi, & per volitiones communes Christus mereri non potest; tum etiam, quia, ut ex actu creato, & increato Christi fieret unum totum morale, sicut fit ex actu imperante, & imperato, necesse erat, quod sicut actus imperatus accipit totam suam libertatem, & moralitatem ab imperante; ita actus creatus acciperet ab increato, quod dici non potest; nam actus creatus libertatis humanæ Christi, ut fide constat, habuit totam libertatem contradistinctam à libertate actus increati; aliter actus omnino necessarius humanitatis Christi esset meritorius, quod dici non potest; ergo actus creatus, & increatus nequeunt in Christo constituere unum morale, sicut illud in nobis constituunt actus imperans, & imperatus; propter hæc pluribus censuris incurrunt Authores sententiam illorum, qui ex actu creato, & increato constituunt meritum Christi, ut videri potest apud Bernal. Disp. 6. num. 34.

418. Fit 3. Opera Christi non accipere specialem valorem ex aliquo influxu physico immediato & proprio personæ Verbi, ratio est, quia, ut docent Concilia & PP. opera ad extra sunt communia toti Trinitati; ergo Verbum non præstitit specialem influxum in ea opera; quamobrem neque recipiebant specialem valorem à persona Verbi, tanquam ab objecto oblato, quia Verbum, ut objectum oblatum, se habebat, ut objectum illorum actuum ad eum modum, quo erat objectum oblatum relate ad actus, quibus Beata Virgo Filium suum offerebat æterno Patri, sed actus Beatissimæ Virginis non recipiebant à Verbo, tanquam ab objecto oblato valorem simpliciter infinitum; ergo neque actus Christi ex hoc duntaxat titulo poterant recipere valorem simpliciter infinitum; tum etiam quia Christus Dominus per opera libertatis, & misericordiæ, qua talia non semper se offerebat Deo, & tamen per illos actus, qua tales maxime merebatur, & constituebat meritum simpliciter infinitum; unde solum desumi potest valor in operibus Christi à dignitate personæ constituentis hoc concretum, meritum Christi.

419. Fit 4. Ad intelligendum, quod dicat in re-cto, & quod in obliquo meritum Christi, prius considerandum esse, in quo sensu accipiat concretum; etenim concretum accidentale dupliciter prædicari potest, primò quidem secundum rem denominatam, & tunc revera non prædicatur concretum, sed subjectum concreti. Secundò, ut concretum, & tunc prædicantur partes omnes concreti. Sic concretum istud album accipi potest denominativè pro re, quæ denominatur dealbata, in qua acceptione non potest prædicari concretum, cum falsum sit dicere: album est dealbatum, vel albedo est dealbata, sed prædicatur solum subjectum, & dicimus: Petrus est albus; tunc e-

nim non prædicatur de Petro concretum, cum fallum sit dicere: Petrus est concretum album, vel Petrus est Petrus, albedo, & unio. Si verò prædicatio sumatur concretivè, prædicabimus ita: compositum ex Petro, unione, & albedine est concretum album; quo in sensu prædicatur concretum ut concretum, & sic verè prædicantur omnes partes concreti.

420. Id ipsum dicendum est de merito Christi, quod etiam est concretum accidentale constitutum ex dignitate personæ, & operatione creata, & unione morali. Quapropter, si concretum istud meritum Christi prædices solum secundum rem denominatam, seu operationem condignificatam, non prædicabis totum concretum, sed solum operationem creatam Christi, quæ est valorata, & dignificata, & ex re ipsa non est simpliciter infinita. Si autem meritum Christi prædices ut concretum, prædicabis totum ipsius constitutum, ac proinde prædicabis ut simpliciter infinitum; sic nempe meritum Christi dicens in recto dignitatem, & in obliquo operationem, vel è converso, est simpliciter infinitum. Si verò dicamus: meritum Christi est obsequium Deo factum, tunc jam non prædicatur ut concretum, sed denominativè secundum operationem condignificatam creatam, quæ revera est obsequium. Unde inferes, quanam propositiones concedendæ sint, quanam verò sint negandæ circa prædicationem hujus concreti meritum Christi.

421. Objicies tamen; gratia habitualis non dignificat meritum puri hominis justii arithmetice, sed tantum geometricè; ergo neque dignitas personæ Verbi dignificabit opera Christi arithmetice, sed tamen geometricè. Probatür antec. si gratia habitualis communicaret merito puri hominis justii tantum valorem, quantum illa habet in se ipsa, licet justus ut octo per quemlibet actum suum, quantumcunque remissum, mereretur alios octo gradus gratiæ, per alium actum duplicaret gratiam existentem, & sic deinceps; atqui est penitus incredibile, per actus remissos fieri posse tale augmentum gratiæ: ergo &c. Confirmatur: si gratia habitualis daret suum valorem merito confurgenti ex actu quantumcunque remisso, homo justus magis, plus mereretur actu remisso, quam minus justus actu egregio charitatis, vel fortitudinis in subeundo Martyrio, sed hoc apparet incredibile; ergo &c. Hoc argumentum in varios sensus divisit Auctores, at nullam habet vim in nostris principiis juxta doctrinam traditam à num. 410.

422. Respond. facile concesso antec. ejusque probatione, & confirmatione, nego conseq. ratio discriminis, & quidem satis manifesta est, quia vis condignificativa in meritis Christi provenit à ratione necessariò constitutiva filiationis naturalis Dei, ad quam non sufficit, nisi perfectio & dignitas simpliciter infinita, ut in merito puræ creaturæ provenit à ratione necessa-

ria ad constituendam filiationem Dei adoptivam, ad quam sufficit unicus gradus gratiæ habitualis; unde opus puræ creaturæ solum condignificatur formaliter à gratia habituali secundum unicum gradum, & cæteri gradus se habent de materiali, quod ita rursus explicant plures Theologi cum Vasquez citato num. 411. quia scilicet opus meritorium à dignitate personæ dignificatur ad merendum præmium tali dignitati proportionatum, eo modo, quo nostra opera à dignitate gratiæ, per quam sumus in statu filiationis adoptivæ, elevantur ad merendum præmium vitæ æternæ proportionatum filiis adoptivis.

At postro, quòd plures habeant dignitatem ejusdem ordinis, licet unus sit accidentaliter dignior altero, opus meritorium à majori dignitate accidentali merentis non dignificatur ad merendum majus præmium; nam qui sunt in eo ordine dignitatis per opera inter se æqualia, debent æqualiter mereri juxta Scripturæ doctrinam traditam num. 411. at in Christo persona merens habeat infinitam dignitatem filii naturalis Dei ad statum illum requisitam: unde opera meritoria Christi dignificantur ab infinita personæ dignitate ad merendum omne præmium, quod juxta pactum voluerit obtinere; idcirco, licet major gratia habitualis facit magis Sanctum, cum sanctitas haberi possit per additionem gradus ad gradum; at non facit magis Filium Dei, quia filiatio in ordine, in quo est filiatio, non suscipit magis, & minus, cumque ab eo titulo proveniat in puro homine ratio condignificandi meritum, exinde gratia habitualis formaliter solum dignificat secundum unum gradum, cumque iste sit limitatus, manet ratione formæ limitatum meritum puri hominis justii. At in Christo Domino ratio filiationis naturalis DEI, à qua provenit sui meriti condignificatio, est simpliciter infinita, nec potest in ullo indivisibili reperiri, in quo non reperitur perfectio simpliciter infinita, proindeque condignificat meritum simpliciter infinitè; cæterum hæc omnia clariora fient disp. sequenti.

Quantum ad præles armet, satis est scire, meritum Christi Domini esse obsequium Deo factum tanquam superiori, non quidem accipiendum meritum pro forma condignificante, quæ est Deus ipse, quo in sensu non habet superiorem, cui obsequitur; sed accipiendum meritum pro subjecto condignificato ad eum modum, quo accipitur concretum album, quando de Petro prædicamus, dicendo Petrus est albus, meritum enim in hoc sensu est liberum, non verò secundum formam ad eum modum, quo Christus est liberè productus in tempore, non quidem secundum Divinitatem, aut personalitatem, sed secundum humanitatem, quamquam per communicationem idiomatum verè dicatur *Christus est æternus*: nam ibi prædicatio est de persona æterna, nec exinde potest dari comunicatio idiomatum inter Deum

